

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. I, SERM. 57.)

- 1871 TERTIO oportuit pati Christum in cruce propter mysterium clarificationis, scilicet, Nominis eius. Licet enim Filius Dei Iesus per coniecturam, seu per certam notitiam, aut solum quod nomen eius vocem ab aliquibus cognosceretur ante passionem Salvator mundi, et haberet nomen quod est super omne nomen; tamen, secundum Bonavent. in 3 dist. xiv. super litteram, absque dubio per passionem et crucem meruit sui nominis clarificationem. Clarificatio autem nominis eius in hoc consistit, quod communiter homines noverant illum, qui humana natura esse Filium Dei apparuit, et Iesum Christum.
- 1872 Quodlibet autem istorum nomen est nomen super omne nomen: nam Filius Dei nominat Personam in una natura, Christus et Iesus, nominat Personam in duabus naturis: Christus enim nominat Personam in humana natura relata ad Divinam; quia dicitur unctus: Iesus autem nominat Personam in natura divina relata ad humanam, quia interpretatur Salvator; huius sententiae est Alex. Al. in 3 Bonav. autem addit: Ideo in nomine Iesu Christi debet omne genu curvari, sicut in nomine Filii Dei.
- 1873 Secundum autem haec tria nomina Filii Dei triplex est clarificatio nominis eius. Prima est clarificatio certificationis, secunda diffusionis, tertia expressionis. Clarificatur autem nomen Filii Dei primo quantum ad certificationem; et haec respicit notitiam nominis Filii Dei. Secundo quantum ad diffusionem; et haec respicit notitiam nominis Christi. Tertio quantum ad rationis nominandi expressionem; et hoc respicit notitiam nominis Iesu: haec sententia est Bonavent. ubi supra.
- 1874 Alex. quoque addit etiam ubi supra, quod nomen Iesu idem est quod Salvator. Salvator enim tripliciter dicitur. Primo ex potentia salvandi, secundo ex habitu salvandi, tertio ab actu salvandi.
- 1875 Primo enim Iesus dicitur a potentia salvandi: et secundum hoc convenit ei nomen ab aeterno, et dicitur impositum ab aeterno. Secundo autem dicitur ab habitu salvandi, et sic ex tempore ab Angelo impositum est, Luc. 1, et hoc convenit principio conceptionis. Tertio autem dicitur Iesus ab actu salvandi; et secundum hoc impositum est a Ioseph, Matth. 1, quia ei ab Angelo dictum est: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; quod dictum est ei ratione passionis futurae. Et hoc modo dicitur meruisse per passionem huiusmodi nomen Iesus clarificationem, sicut Phil. 11 cap. Apostolus ait: *Christus factus est pro nobis*

obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Propter quod Deus exalavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, etc. ut vocetur Patris. Haec sentit Alex. de Ales.

Sed obstant Iudaei, dicentes: Quid clarificatum est in nobis, et cognitus est Iesus, id est, Salvator mundi, quum nec reperiamus illum Messiam quem tamdiu populus Dei expectavit debere nominari Iesum? Sed secundum Is. ix aliter dicebat multipliciter nominari; unde ait: *Parvulus enim datus est nobis, filius natus est nobis. Et factus est principatus eius super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.* Ecce quod inter ista omnia sex nomina minime commemoratur Iesus. Si enim nominatus fuisset iuxta vaticinium Is. tenebatur ei credere, et utique crederemus.

Ad haec respondet Alex. de Ales. exponens illud super Lucam: *Et vocatum est nomen eius Iesus*: ait, secundum Bern. quod illud nomen Iesus in his omnibus reperitur sic expressum, et quodammodo effusum est. Nec omnino aut vocari posset, aut esse Salvator mundi, si horum quidpiam defuisset. Ideo exponit quodlibet, dicens: *Primo quod est admirabilis in voluntatum nostrarum mutatione, seu in nostrae salutis inchoatione: unde Gen. xxxii ad Iacob Angelus ait: Cur quaeris nomen meum quod est mirabile? Secundo enim est consiliarius in poenitentiae electione, et vitae ordinatione; propterea dicitur Eccli. vi cap.: Consiliarius sit tibi unus de mille. Alioquin adducit consiliarios in stultum suum.* Iob xii cap. Tertio est Deus in peccatorum remissione, sine qua non est salus: *Quis enim potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Luc. cap. v. Quarto vocatur fortis in tentationis expugnatione; nam, si hostes praevalerint, non est salus: *Hic est fortis qui, alligata forti, tanquam fortior arma tollit, et universa diripit.* Luc. xi. Quinto dicitur Pater futuri saeculi in immortalitatis collatione qua generamur ad vitam immortalem, sicut per parentes carnales generati sumus ad vitam corruptibilem. Et hoc est quod Matth. vi. Dominus ait: *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi, scilicet, mercedem aeternam.* Sexto nominatur princeps pacis in nostra cum Patre reconciliatione, quia *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians.* II Cor. v. In his omnibus nominibus natura Salvatoris reperitur, scilicet, Iesus.

Tertio quoque oportuit pati Christum respectu Spiritu sancti; et maxime propter tria. Primo propter charitatis offensionem, secundo propter charitatis diffusionem, tertio propter charitatis repetitionem.

1879 Primo, inquam, propter charitatis ostensionem; propterea Bernard. in sermone de passione Domini ait: *Propter nimiam charitatem quam dilexit nos Deus, nec Pater Filio, nec Filium ipse sibi pepercit. Maior charitas est, quam quis ponat animam suam pro amicis.* Illa vero maxima fuit quia etiam pro inimicis animam ponere non desepit: *Quum autem adhuc inimici eius essemus, reconciliati sumus Deo in Sanguine eius, sicut Ioann. 11 cap. scriptum est: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut hic diceat humana tepiditas quantum aeternam Patrem teneamur amare qui pro nostra dilectione tradidit in mortem Filium suum.*

1880 Idem quoque Bernard. super Cant. ait: In passione Domini tria specialiter convenit intueri: opus, modum, causam: nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientia singularis, humilitas admirabilis, sed charitas inaeestimabilis. Et iterum in eodem loco inquit: *O duri et indurati et obdurati filii Adam! quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris qui pro nobis sarcinulis tam pretiosas merces expendit.*

1881 Secundo oportuit pati Christum propter charitatis effusionem. Dilatus quodammodo amor Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in ara ardentissime crucis, per universum mundum merito diffusus est, ut quasi facta sit crux sufflatorium Spiritu sancti ex duobus lignis confectum, quibus ferreis clavis conficta est pellis Innocentissimi agni, ut undique per universum exsufflet incendium divini amoris, nec exsufflare desistat etiam ad profunda inferni, et ad altissima paradisi.

1882 Nam, quum in terra fuerit crux Christi defixa, significat manifeste quod virtus amoris eius descendit ad inferos ad inferni portas aereas confringendas. Quum autem in altum elevata fuerit, aperte demonstrat quod virtus eius aperuit ianuam paradisi, sicut in fine art. 11 huius tertiae partis apparebit. Cornua vero ad omnes quatuor mundi plagas extensa designant per crucem Christum per totum universum orbem effuisse amoris ardorem. Quod etiam Ioann. xx cap. mystice designavit, quando post resurrectionem, quum ostendisset discipulis suis manus et latus, insufflavit, et dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum; verificans quod Luc. xx cap. praedixerat, dicens: Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut ardeat?* In huius quoque mysterium Apocalypsis. viii, scriptum est quod *accepit Angelus thuribulum aureum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram.* Quid per Angelum, nisi Angelus magni consilii Christus? Quid etiam per thuribulum aureum nisi cor convenientius designatur? Altare

quoque quatuor cornibus in se distinctum dominicam crucem quatuor cornua in se habentem manifeste demonstrat; in qua quidem, iuxta Domini praecceptum, Levit. vi: *Semper inardet ignis, quum sit utique fornax ardentis amoris Dei.* De altari igitur Angelus ignem accipit, et thuribulum implet, atque in terram mittit, quum Christus per plenum meritum suae crucis corda fidelium incendio divini amoris inflammat atque accendit.

Tertio quoque oportuit pati Christum propter charitatis repetitionem; hoc est, ut, viso quod tanta charitate dilexerit cor humanum in tantum, quod pro eius amore voluerit in cruce mori, repetat vere et integre ab eodem amari, ne insensata et dura ingratitude deprimat et condemnetur.

Hinc Hugo de sacramentis lib. II ait: Qui creavit te, ille redemit te, ne amorem tuum divideres, partem Creatori, partem tribuens Redemptori. Unde et ipse modus expansionis Christi in cruce non solum ostendit Christum continue preparatum ad omnia diffundenda in electos suos charitate largiunda, verum etiam ad omnia abrangenda ad se virtute mirifica, et ad omnia amplexanda remissione plenaria, necnon et ad omnia transformanda dilectione reciproca. Quod eleganter exprimit Cancellarius Philippus in quadam prosula sua valde notabilis et devota, ubi in persona Christi crucifixi ad ingratum peccatorem sic ait:

Homo, vide quid pro te patior.
Non est dolor, sicut quo crucior,
Ad te clamo qui pro te morior.
Vide poenas quibus afficior:
Vide clavos quibus afficior:
Cum sit dolor tantus exterior, etc.

Hinc Ioann. I canon. sua, 11 cap. ait: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit.*

1886 Rependenda est ergo ei dilectio dulcis, sicut Bernard. de diligendo Deo hortatur, dicens: Dignus est plane diligi qui nos redemit, praesertim si advertatur quis, quos, et quantum amaverit. Et iterum alibi ait: Super omnia te mihi reddidit amabilem, bone Iesu, calix quem bibisti; opus nostrae redemptionis.

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

Luc. XI, 14-23.

In illo tempore: Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratus sunt turbae. 15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.

16. Et alii tentantes, signum de coelo quaerebant ab eo.

17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

18. Si autem et satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiecere daemonia.

19. Si autem ego in Beelzebub eicio daemonia: filii vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.

20. Porro si in digito Dei eicio daemonia: profecto pervenit in vos regnum Dei.

21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet.

22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet.

23. Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit.

24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaequalia, quaerens requiem: et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, et ornata.

26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.

27. Factum est autem, cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; et ubera, quae succistati.

28. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
IN EVANG. LUC. CAP. II.

1887 **E**r erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutus. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae. Daemonaicus iste apud Matthaeum non solum mutus, sed et caecus fuisse narratur, curatusque dicitur a Domino, ita ut loqueretur et videret. Tria ergo signa simul in uno homine perpetrata sunt. Caecus videt, mutus loquitur, possessus daemone liberatur. Quod et tunc quidem carnaliter factum est, sed et quotidie completur in conversatione credentium, ut expulso primum daemone, deinde lumen aspiciant, deinde ad laudes Dei tacientia prius ora laxentur.

1888 **Q**uidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum eicitur daemonia. Non haec aliqui de turba, sed

Pharisaei calumniabantur et Scribae, sicut alii Evangelistae testantur. Turbis quippe quae minus erudita videbantur, Domini semper facta mirantibus, illi contra, vel negare haec, vel quae negare nequiverant, sinistra interpretatione pervertere laborabant, quasi non haec divinitatis, sed immundi spiritus opera fuisent, id est Beelzebub, qui deus erat Accaron. Nam Beel quidem, ipse est Baal. Zebub autem, musca vocatur. Nec iuxta quaedam mendosa exemplaria /litera vel d in fine est nominis legenda, sed b. Beelzebub ergo Baal muscarum, id est, vir muscarum, sive habens muscas interpretatur, ob sordes videlicet immolatiis cruoris, ex cuius spurcissimo ritu vel nomine, principem daemoniorum cognominabant.

1889 **E**t alii tentantes, signum de coelo quaerebant ab eo. Vel in morem Eliae ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore aestivo mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere, quasi non possint et illa calumniari, et dicere ex occultis et variis aëris passionibus accidisse. At tu qui calumniaris ea quae oculis vides, manutenes, utilitate sentis, quid feceris de iis quae de coelo venerint? Utique respondebis, et magos in Aegypto multa signa fecisse de coelo.

1890 **I**pse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipso divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Non ad dicta, sed ad cogitata respondit, ut vel si compellerentur credere potentiae eius, qui cordis videbat occulta. Si autem omne regnum in seipso divisum desolatur, ergo Patris et Filii et Spiritus sancti regnum non est divisum, quod sine ulla contradictione non aliquo impulsu desolandum, sed aeterna est stabilitate mansurum. Si vero sanctae et individuae Trinitatis, individuum, immo quia indi-

viduum manet regnum, desistant Ariani minorem Patre Filium, minorem Filio sanctum dicere Spiritum. Quia quorum unum, est regnum, horum est et una maiestas.

1891 **S**i autem et satanas in seipso divisus est, quomodo stabit regnum ipsius, quia dicitis in Beelzebub eicere me daemonia? Hoc dicens, ex ipsorum confessione volebat intelligi quod in eum non credendo in regno diaboli esse elegissent, quod utique adversum se divisum stare non posset. Eligant ergo Pharisaei quod voluerint. Si satanas satanam non potest eiecere, nihil contra Dominum quod dicerent, invenire poterunt. Si autem potest, multo magis sibi prospiciant et recedant de regno eius, quod adversum se divisum stare non potest. In quo autem Dominus Christus eiciat daemones, ne daemoniorum principem existiment, attendant quod sequitur:

1892 **S**i autem ego in Beelzebub eicio daemonia, filii vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Dixit hoc utique de discipulis suis, illius populi filiis, qui certe discipuli Domini Iesu Christi bene sibi conscii fuerant, nihil se malularum artium a bono magistro didicisse, ut in principe daemoniorum eicerent daemones. Ideo, inquit, ipsi iudices erunt vestri, ipsi (inquit) ipsi ignobilia et contemptibilia huius mundi, in quibus non artificiosa malignitas, sed sancta simplicitas meae virtutis apparet, ipsi testes mei, iudices erunt vestri. Aliter: Filios ludaeorum, exorcistas gentis illius ex more significat, quia ad invocationem eiciebant daemones. Et coarctat eos interrogatione prudenti, ut confiteantur Spiritus sancti esse opus. Quod si expulsio (inquit) daemonum in filiis vestris, Deo, non daemonibus deputatur, quare in me idem opus non eandem habeat causam? Ergo ipsi vestri iudices erunt, non potestate, sed comparatione, dum illi expulsionem

daemonum Deo adsignant, vos Beelzebub principii daemoniorum.

1893 **P**orro si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Iste est digitus quem confitentur et magi, qui contra Moysen et Aaron signa faciebant, dicentes: *Digitus Dei est iste*. Quo et tabulae lapideae scriptae sunt in monte Sina. Igitur manus et brachium Dei filius est, et digitus eius Spiritus sanctus. Patris et Filii, et Spiritus sancti una substantia est. Non te scandalizet membrorum inaequalitas, cum aedificet unitas corporis. Aliter: *Digitus Dei* vocatur Spiritus sanctus, propter partitionem donorum quae in eo dantur unicuique propria, sive hominum sive Angelorum. In nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quam in digitis. Quod autem dixit: *Pervenit in vos regnum Dei*. Regnum Dei nunc dicit quod damnantur impij, et a fidelibus de peccatis suis poenitentiam nunc agentibus secernuntur.

1894 **Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet**. Fortem, diabolum. Atrium vero illius, mundum qui in maligno positus est appellat, in quo usque ad Salvatoris adventum male pacato patiebatur imperio, quia in cordibus infidelium sine ulla contradictione quiescebat. Unde et alibi *princeps mundi* vocatur, dicente Domino: *Venit enim princeps mundi, et in me nihil inveniet*. Et iterum: *Nunc princeps mundi eicitur foras*, de qua et hic eiectione subiungitur:

1895 **S**i autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet in quibus confidebat, et spolia eius distribuet. De se ipso quippe loquitur, quod non concordi fallax operatione quemadmodum calumniabantur, sed fortiori potentia victor homines a daemonio liberaret. Arma in quibus male fortis ille confidebat, astu-

tiae dolique sunt nequitiae spiritalis. Spolia vero eius, ipsi homines sunt ab eo decepti. Quae victor Christus distribuit, quod est insigne triumphantis, quia *captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus, quosdam quidem Apostolos, alios Evangelistas, hos Prophetas, illos pastores ordinans et doctores.*

1896 *Qui non est mecum, adversum me est. Et qui non colligit mecum, dispergit.* Non putet quisquam de haereticis dictum et schismaticis, quamquam et ita ex superfluo possit intelligi, sed ex consequentibus, textusque sermonis ad diabolum referunt et quod non possint opera Salvatoris, Beelzebub operibus comparari. Ille cupit animas hominum tenere captivas, Dominus liberare. Ille praedicat idola, hic unius Dei notitiam. Ille trahit ad vitia, hic ad virtutem revocat. Quomodo ergo possunt habere concordiam inter se, quorum opera divisa sunt?

1897 *Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa.* Quamvis simpliciter intelligi possit, Dominum haec ad distinctionem suorum et satanae operum adiunxisse, quod, scilicet, ipse semper polluta mundare, satanas vero mundata gravioribus festinet attaminare sordibus: tamen et de haeretico quolibet, vel schismatico, vel etiam malo Catholico, potest non inconvenienter accipi. De quo tempore baptismatis spiritus immundus qui in eo prius habitaverat, ad confessionem Catholicae fidei, abrenunciationemque mundanae conversationis eiciatur locaque inaquosa peragret, id est, corda fidelium quae a molitione fluxae cogitationis expurgata sint, callidus insidiator exploret, si quos ibi forte suae nequitiae gressus figere possit. Sed bene dicitur:

1898 *Quaerens requiem et non inveniens, Quia castas mentes effugiens, in solo diabolus corde pravorum gratam sibi*

potest invenire quietem. Unde de illo Dominus: *Sub umbra, inquit, dormit in secreto calami, et locis humentibus.* In umbra videlicet, tenebrosas conscientias: in calamo qui foris nitidus, intus est vacuus, simulatrices: in locis humentibus, lascivas mollesque mentes insinuans.

Dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Timendus est ille versiculus, non exponendus. Ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.

Et cum venerit, invenit scopis mundatam. Hoc est, gratia baptismatis a peccatorum labe castigatam, sed nulla boni operis industria cumulatam. Unde bene Matthaeus hanc domum vacantem, scopis mundatam, atque ornatam dicit inventam. Mundatam videlicet a vitiis pristinis per baptismum, vacantem a bonis artibus per negligentiam, ornatam simulatis virtutibus per hypocrisin.

Et tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. Per septem malos Spiritus, universa vitia designat. Quaecumque enim post baptismum, sive pravitas haeretica, seu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternit in ima vitiorum. Unde recte nequiores tunc eum Spiritus dicuntur ingressi. Quia non solum habebit illa septem vitia, quae septem spiritalibus sunt contraria virtutibus, sed et per hypocrisin, ipsas se virtutes habere simulabit.

Et sunt novissima hominis illius peiora prioribus. Melius quippe erat ei viam veritatis non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum converti. Quod in Iuda traditore, vel Simone mago, ceterisque talibus, specialiter legimus impletum. Quo autem generaliter haec parabola tendat, ipse secundum Matthaum, Salvator exposuit, ubi ea terminata mox

subdidit dicens: *Sic erit et generationi huic pessimae.* Id est, quod de uno quolibet specialiter geri solere narravi, hoc in tota generaliter huius populi gente geri non desinit. Immundus quippe spiritus exivit a Iudaeis, quando acceperunt legem. Et ambulavit per loca arida, quaerens sibi requiem. Expulsus videlicet a Iudaeis, ambulavit per gentium solitudines. Quae cum postea Domino credidissent, ille non invento loco in nationibus dixit: *Revertar ad domum meam pristinam, unde exivi.* Habebam Iudaeos, quos ante dimiseram. *Et veniens, invenit vacantem, scopis mundatam.* Vacabat enim templum Iudaeorum, et Christum hospitem non habebat, dicentem: *Dimittetur vobis domus vestra deserta.* Quia igitur Dei et Angelorum praesidia non habebant, et ornati erant superfluis observationibus Pharisaeorum, revertitur ad eos diabolus, et septenario sibi numero daemonum addito habitat pristinam domum, et fiunt posteriora illius populi peiora prioribus. Multo enim nunc maiore daemonum numero possidentur blasphemantes in Synagogis suis Christum Iesum, quam in Aegypto possessi fuerant ante legis notitiam. Quia aliud est venturum non credere, aliud eum non suscepisse qui venerit. Septenarium autem numerum adiunctum diabolo, vel propter Sabbatum intellige, vel propter numerum Spiritus sancti. Ut quomodo in Isaia, super virgam de radice Iesse, et florem qui de radice descendit, septem Spiritus virtutum descendisse narrantur, ita et e contrario vitiorum numerus, in diabolo consecratus sit.

1893 *Factum est autem cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.* Magnae devotionis et fidei haec mulier ostenditur, quae Scri-

bis et Pharisaeis Dominum tentantibus simul et blasphemantibus, tanta eius Incarnationem prae omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confutur, ut et praesentium procerum calumniam, et futurorum confundat haereticorum perfidiam. Nam sicut tunc Iudaei sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemque Patri Dei Filium negabant, sic haeretici postea negando Mariam semper Virginem, sancti Spiritus operante virtute nascituro ex humanis membris, unigenito Deo carnis suae materiam ministrasse, verum consubstantialemque Patri filium hominis fateri non debere dixerunt. Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis Matris pronunciat extranea, sine qua venter qui eam portasset, ubera quae lactassent, beatificantur. Qua enim consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus? cum ex unius eiusdemque fontis origine, secundum physicos uterque liquor emanare probetur. Nisi forte putanda est virgo sementivam suae carnis materiam nutriendo in carne Dei Filio suggerere potuisse, incarnando autem quasi maiori et inusitato miraculo minime potuisse. Sed huic opinioni obstat Apostolus dicens: *Quia misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Neque enim audiendi sunt qui legendum putant, *natum ex muliere, factum sub lege, sed factum ex muliere.* Quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne. Alioquin nec vere Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Eutychem dictis extollamus vocem cum Ecclesia Catholica, cuius haec mulier typum gessit, extollamus et mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.*

sti. Vere enim beata Parens, quae (sicut quidam ait):

Enixa est puerpera Regem,
Qui coelum terramque tenet per saecula, cuius
Numen et aeterno complectens omnia gyro,
Imperium sine fine manet; quae ventre beato,
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

1904 *At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt.* Pulchre Saluator attestationi mulieris annuit, non eam tantummodo quae verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem verbum spiritualiter auditi fidei concipere, et boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos. Quia et cadem Dei Genitrix, et inde quidem beata, quia verbi incarnandi ministra est facta temporalis, sed inde multo beatior quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna. Qua sententia sapientes Iudaeorum clam percutit, qui verbum Dei non audire et custodire, sed negare et blasphemare quaecebant.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESE, VOL. I, SERM. 51.)

1905 **S**ecundo oportuit pati Christum respectu mali; et maxime contra triplex malum nobis contrarium. Primo contra diabolum, secundo contra peccatum, tertio contra infernum.

1906 Primo quidem oportuit pati Christum contra diabolum, et maxime propter tres causas. Primo ut deciperet eius malitiam, secundo ut confunderet eius superbiam, tertio ut minueret eius potentiam; primum contra eius intelligentiam, secundum contra eius voluntatem, tertium contra eius facultatem et potestatem.

1907 Primo ut deciperet eius malitiam. Fuit enim crux piscantis Christi baculus, vel arundo Deitatis, quasi hamus, sed caro extilit esca. Solet enim pro piscibus capiendis in hamo pro esca vermis apponi: propterea Christus per Prophetam de se Psal. xxxi, ait: *Ego sum vermis, et non homo*; praesumens igitur diabolum de astutia sua, ascendit super brachium crucis, ut attente per-

scrutaretur si reperire posset in Christo culpam, secundum Gloss. Tob. vi cap.: *Dumque escam humanitatis deglutiri molitus est, Divinitatis hamo extitit comprehensus.* Unde Iob xl, de Domino ait: *In oculis eius, quasi hamo, capiet eum.* Et iterum in eodem: *An extrahere poteris Leviathan hamo?* Hinc et Gregor. in Homilia: *Diabolum in virga crucis translucens carnem humanitatis, transfixus est hamo Divinitatis.*

1908 Secundo autem oportuit pati Christum, ut confunderet diaboli superbiam; unde Eccle. ix cap. mystice scriptum est: *Civitas parva, et pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, et vallavit eam, extraxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. Inventus in ea vir pauper et sapiens liberavit eam per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.* Mystice autem Ecclesia sancta est, de qua propheta Psal. lxxxvi inquit: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; quae utique parva est per humilitatem, quia in ea solus Deus inhabitat, sicut Is. iul. cap., ait, in persona eius: Ad quem respiciam, nisi ad pauperem? Et pauci in ea viri, scilicet, reperiuntur, comparatione malorum; nam, sicut Matth. xxiii cap., ait: *Multi sunt vocati, pauci vero electi. Rex autem magnus qui contra eam venit* diabolum est; quia sicut Iob penult. cap. scriptum est: *Eccc rex magnus super omnes filios superbiae; qui etiam magnus, scilicet, per superbiam nuncupatur.* Talis autem Rex contra civitatem venit per suggestiones, vallat offerendo multipliciter delectationes. *Extrahit munitiones, procurando peccati occasiones.* Et perfecte obsidet, quum multipliciter mandatorum transgressiones. De his Luc. xix cap., Dominus ait: *Circumdabant te inimici tui vallo, et te circumdabant te, et coangustabant te undique, et ad terram prosternebant te, et filios tuos, qui in te sunt; et non relinquunt in te lapidem super lapidem.* Vir autem pauper et sapiens Christus est, qui vir est a virtutis robore: unde Ier. xxxi: *Mulier circumdabit virum.* Et pauper est, quia in cruce nudus mortuus est; unde II Cor. viii, Apostolus ait: *Quum esset dives, propter nos egenus factus est.* Sapiens quoque est; unde I Cor. i: *Christum dicimus Dei virtutem et Dei sapientiam.* Iste a quaerentibus invenitur, sicut ipse Matth. vii cap. ait; unde ibid. Apost.: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsi autem vocatis Iudaeis atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam; quia quod stultum est Dei sapientia est hominibus.* Nam Iob xxvi dicitur: *Prudentia eius percussit superbum. Et nullus recordatus est hominis pauperis illius, scilicet, compatiendo.* Unde Amos vi cap.: *Nihil compa-**

timini super contributione Ioseph. Hinc Thren. iii ad hanc memoriam ipse Dominus nos exhortatur, dicens: *Recordare paupertatis, et transgressionis mae, et abstinthi, et fells.*

1909 Tertio oportuit Christum pati, ut minueret diaboli potentiam, quae quidem per passionem eius utique diminuta est. Et hoc triplici ratione. Primo ratione alligationis, secundo ratione absolutiois, tertio ratione defensionis.

1910 Primo enim per passionem Christi potentia diaboli diminuta est ratione alligationis; quia, scilicet, per Christi passionem alligatus est diabolum in abyso: unde Apoc. xx cap., ait: *Vidi Angelum descendentem de caelo habentem clavem abyssi, et cateenam magnum in manu sua; et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et sathanas; et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum et clausit; et signavit super illum, ut non amplius seducat gentes, donec consummatur mille anni.*

1911 In quibus sacratissimis verbis Ioann. tria mysteria revelantur. Primum, scilicet, passionis, secundum ligationis, tertium signationis.

1912 Primum quod hic revelatum est Ioanni est mysterium passionis; et de hoc dicit: *Vidi, scilicet, per revelationem, Angelum magni consilii, scilicet, Christum, descendentem de caelo, id est, de altitudine sua; non solum usque ad Incarnationem, sed etiam usque ad humillimam passionem, sicut ad Philipp. ii cap., Apostolus ait: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Habentem clavem abyssi, id est, potestatem claudendi abyssum.* Abyssus enim dicitur ab *A*, quod est sine, et *Byssa*, quasi sine bysso et candore; et designat spiritus infernales qui privati sunt luminibus gratiae, et gloriae Dei; unde Iob xxvii dicit: *Abyssus non est in me, scilicet, lumen gratiae, seu gloriae, sed omnis tenebrositas malitiae, culpae, et poenae.* Hanc quidem abyssum clausit Christus, quando per passionem suam arctavit et limitavit malitiam suam, ne egrederetur ad actum. *Et cateenam magnum, id est, potestatem diabolum cingendi poena.* Per clavem ergo et cateenam Christi potestas significatur: per clavem, scilicet, in quantum in eo clausit exitum nocimento: per cateenam vero in quantum stringit eum supplicio. *In manu sua, id est, operatione passionis suae, seu in libito voluntatis suae.**

1913 Secundum autem quod revelatur Ioanni est mysterium ligationis; et ob hoc subditur: *Et apprehendit, scilicet, Christum, draconem, scilicet, infernalem, qui sic dicitur est propter eius violentiam potentiam.* Est enim draco serpens, qui violentia opprimere solet. Hanc potestatem Christus

virtute suae passionis apprehendit, id est, tenuit, scilicet, ne quantum vellet in actum prodiret atque saeviret. *Serpentem, scilicet, per insidiantem malitiam, Unde de eo Gen. xvi, dictum est: *Serpens erat callidior cunctis animalibus terrae.* Antiquum, per consuetam et inveteratam nequitiam, qui est diabolus, scilicet, per deficientem superbiam: interpretatur enim deorsum fluens. *Et sathanas* per adversantem duritiam. Sathanas enim adversarius interpretatur. *Et ligavit eum, id est, potestatem eius cohibuit, ne, quantum solebat ante eius passionem, electis nocere posset.* Unde Gregorius super hunc locum: *Potentia divinae dispensationis astringitur, ne quantum nocere vellet effrenetur.* *Per mille annos, id est, per totum tempus a tempore passionis usque ad tempora Antichristi, secundum Glossam. *Et misit eum in abyssum, de qua supra dictum est. *Et clausit, hoc est, potestatem nocendi iusto limitavit.* Et de hoc Iob xxxviii: *Quis clausit ostium mare?* id est, diabolum, qui est amarus et inquietus, veluti mare; quasi dicat: *Non nisi Christus, qui meritis crucis et passionis suae coercuit potestatem eius.****

1914 Tertium quod revelatur Ioanni est mysterium signationis; et de hoc subditur: *Et signavit super illum, id est, signaculo sanctae crucis; sic clausum sigillavit; quia virtute crucis fideles eum repellunt, ut non amplius seducat, scilicet, per tentationes, gentes, id est, electos in diversis gentibus. *Donec consummatur mille anni, id est, donec compleatur universum tempus a passione Christi usque ad tempora Antichristi, sicut dictum est.**

1915 Sed nonne etiam tempore isto multos seducit? Dicendum quod et nunc seducit, scilicet, eos qui abutuntur, vel non utuntur armis sibi a Christo datis, vel quae sibi darentur, si vellent; de quibus armis statim subdemus.

1916 Secundo etiam per passionem Christi potentia diaboli diminuta est ratione absolutiois. Quum enim diabolum non habeat potestatem in humano genere, nisi ratione peccati; iam alligata est potestas eius, quia in illis, qui baptizantur, absolutus est reatus originalis, et actualis culpae: unde Apostolus ad Hebr. ii cap., ait: *Oportebat pati Christum Iesum, et per mortem destruere eum qui habebat mortis imperium; id est, diabolum, ut sic liberaret illos per mortem qui per totam vitam erant obnoxii servituti.* Hinc etiam Chrysost. exponens illud Matth. xxvii: *Si Filium Dei es, descende de Cruce, ait: immo quia Filius Dei est, non descendit de Cruce: quia ad hoc venit, ut crucifigeretur, et sic genus humanum a morte liberaret.*

1917 Tertio quoque per passionem Christi potentia diaboli diminuta est ratione munitionis, et defensionis. Secundum enim Alex. de Ales, in iii, habemus nempe primo post passionem Christi plinquam ante multiplicia arma quibus terreuntur daemones infernales; inter quae singulare munimen est contra omnia daemonia, et contra eorum opera invocatio nominis Iesu Christi, sicut ipse Matth. ult. cap., ait: *In nomine meo daemonia eiciunt*, etc. Et iterum Propheta, inquit: *Sanctum et terribile nomen eius*. Sanctum Angelis bonis, terribile angelis malis. Et iterum Is. xxx: *A voce Domini pavabit Assur; virga percussus Assur*. Assur enim negatio interpretatur, et significat diabolum qui, circumiens quereus quem devoret, odio vacat vel otio. Hic a voce Domini Iesu fideliter invocati terribiliter pavet, tanquam si virga percussus esset.

1918 Secundo habemus signum sanctissimae Crucis, ad cuius aspectum etiam omnes maligni spiritus evascescunt. In baptizatis enim Christianis character passionis est signum crucis ex sacramento baptismatis quo potestas diaboli coarctatur. Apoc. vii dicitur quatuor angeli, id est, quatuor principalioribus daemionibus dictum est: *Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*.

1919 Tertio habemus Angelos Dei, qui efficacius nos timentur, quam ante Christi passionem, eo quod post Incarnationem Filii Dei generaliter amplius reverentur naturam humanam; in cuius signum Angelus Ioanni volenti se adorare ait, Apoc. xix: *Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu*, scilicet, salutis.

1920 Quarto habemus ecclesiastica sacramenta et fidem omnium praedictorum; propterea ad Ephes. vi cap. Apostolus hortatur nos, dicens: *In omnibus sumentes scutum fidei*, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.

1921 Quinto habemus alia plura arma, sicut Scripturam sacram, documenta Sanctorum, reliquias sanctas, et multa alia; quibus nunc, si volumus, nos possumus defendere.

1922 Sed dices: nonne potestatem habet diabolus etiam nunc vexandi corporaliter eos qui Christiani sunt, sicut quotidie experimur in multis? Ad quod dicendum, secundum Alex. de Ales, ubi supra, quod diabolus, etiam post Christi passionem, etiam habet potestatem vexandi corpora, sed non quorumcumque, nec qualitercumque; potestatem enim habet vexandi corpora excommunicatorum ab Ecclesia praecisorum, sicut scribitur I Cor. v, de fornicatore quem excommunicavit Apostolus, dicens: *Iudicavi huiusmodi hominem*

tradere sathanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. Eorum vero fidelium corpora qui ab Ecclesia non sunt praecisi potestatem vexandi non habet, nisi quatenus a Deo permittitur, vel ad hominum correctionem, vel ad Sanctorum exercitationem atque coronam, secundum quod de beato Antonio reperitur, qui, postquam fuit a diabolo flagellatus, dum quaereretur a Domino apparet sibi: Ubi eras, Domine, quum me daemones flagellabant? a Domino audivit: Praesens eram, sed victoriam expectabam.

1923 Ante passionem vero potestatem habebat daemones vexandi corporaliter omnes, praeter illos qui solo speciali privilegio a Domino tuebantur, secundum quod de sanctissimo Iob scriptum est cap. i, ubi diabolus de Iob ad Dominum ait: *Nonne tu vallasti eum et domum eius, universamque substantiam eius per circuitum?* Non tamen semper utebatur diabolus antiquus sibi tradita potestate puniendi per poenam, ut maiorem haberet potestatem seducendi per culpam, sicut nunc in excommunicatis, et infidelibus idem servat.

1924 Manifestissimum quoque signum quod per passionem Christi potentia diaboli minorata sit est adoratio unius Dei, et digna abominatio atque exclusio et abolitio idololatriae per universum orbem facta post passionem Christi, quae tamen idololatria ab initio legis usque ad Christum delerit numquam potuit, etiam in populo Iudaeorum ubi regnabat divinus cultus. Et ubi ante passionem Christi ab infidelibus per universum mundum diabolus in multitudine idolorum, spreto uno et summo Deo, quasi venerabatur ut Deus, post Christi passionem, spreto diabolo in idolis suis, in tantum dilatatus et magnificatus est cultus unius Dei, tantumque accessit mundus ad unitatem Dei credendam, intelligendam, atque colendam, ut etiam in tribus Personis summe unius et summe simplex esse credatur, et a sapientibus intelligatur: quod nunquam tantum fieri potuit in veteri Testamento.

FERIA SECUNDA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. IV, 23-30.

1925 **I**n illo tempore: Dixit Iesus pharisaeis: Uti que dicetis mihi haec similitudinem? Medice cura te ipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.

24. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

25. In veritate dico vobis, multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est

coelum annis tribus, et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra:

26. et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarcapta Sidoniae, ad mulierem viduam.

27. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta: et nemo eorum mandatus est nisi Naaman Syrus.

28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, haec audientes.

29. Et surrexerunt, et eiecerunt illum extra civitatem: et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat aedificata, ut precipitarent eum.

30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

COMMENT. IN LUC. CAP. 4.

1925 **A**men dico vobis, quod nemo propheta acceptus est in patria sua.

Non mediocriter invidia proditur, quae civicae charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter et oraculo declaratur quod frustra opem misericordiae coelestis expectes, si alienae fructibus virtutis invidae; aspernator enim Dominus invidorum est, et ab iis qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suae potestatis avertit. Dominicae quippe carnis actus divinitatis exemplum est: et invisibilia nobis eius per ea quae sunt visibilia demonstrantur.

1926 Non otiose itaque Salvator excusatur quod nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit; ne fortassis aliquis viliozem patriae nobis esse debere putaret affectum. Neque enim cives poterat non amare, qui amaret omnes; sed ipsi se charitate patriae, qui invident, abdicarunt, *Charitas enim non aemulatur... non inflatur* (I COR. XIII, 4). Nec tamen exorsus beneficiorum patria divinorum est. Quod enim maius miraculum, quam quod in ea natus est Christus? Videte igitur quid mali invidia afferat. Indigna propter invidiam patria iudicatur, in qua civis operetur, quae digna fuit in qua Dei Filius nasceretur.

1927 *In veritate dico vobis: Multae viduae fuerunt in diebus Eliae.* Non quia Eliae

dies fuerunt, sed in quibus Elias operatus est: aut quia dies faciebat illis, qui in eius operibus lucem videbant gratiae spiritalis, et convertebantur ad Dominum. Et ideo aperiebatur coelum videntibus aeterna et divina mysteria: claudebatur quando fames erat; quia nulla erat cognoscendae divinitatis ubertas. Sed de hoc plenius scripsimus, cum *de Viduis* scriberemus.

1928 *Et multi leprosi erant in Iudaea temporibus Elisaei prophetae; et nemo eorum mandatus est, nisi Naaman Syrus.* Evidenter hic sermo nos Domini salutaris informat, et ad studium venerandae divinitatis hortatur, quod nemo sanatus ostenditur, et maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur. Et bene apto comparationis exemplo arrogantia civium retunditur invidorum, Dominicumque factum Scripturis docetur veteribus convenire, quod in libris quoque Regnorum legitimus gentilem virum Naaman propheticis oraculo leprae maculis absolutum (IV REG. V, 14), cum plurimos Iudaeorum lepra corporis pariter et mentis absumeret. Siquidem quatuor illos qui, cogente fame, in castra regis Syriae primi tetenderunt, tradit historia fuisse leprosos (IV REG. VII, 35). Cur igitur non curabat fratres, non curabat cives, non sanabat propheta consortes; cum sanaret alienos, sanaret eos qui observantiam legis, et religionis consortium non habebant: nisi quia voluntatis est medicina, non gentis; et divinum munus votis eligitur, non naturae iure defertur? Disce, Christiane, rogare quod cupias impetrare: fastidiosos viros coelestium profectus munerum non sequuntur.

1929 Sed quamvis simplex expositio moralium informet affectum, gratia tamen non

est occulta mysterii. Etenim cum posteriora a superioribus deriventur, tum etiam superiora posterioribus astruuntur. Diximus enim in libro alio, in vidualia illa ad quam Elias directus est, typum Ecclesiae praemissum. Populus Ecclesiam congruit ut sequatur. Populus ille ex alienigenis congregatus, populus ille ante leprosus, populus ille ante maculosus, priusquam mystico baptizaretur in flumine, idem post sacramenta baptismatis maculis corporis et mentis ablutus, iam non lepra, sed immaculata virgo coepit esse sine ruga. Merito ergo magnus Naaman in conspectu Domini sui, et admirabilis facie describitur, quoniam in eius typo salus futura gentibus declaratur, qui solutae consilio puellae, quae fractis viribus civium, in hostilem captiva venerat potestatem, a propheta salutem sperare commonitus (IV REG. v, 24), non terreni regis imperio, sed divinae misericordiae liberalitate sanatur.

1930 Cur mystico numero mergere iubetur? Cur Iordanis fluvius eligitur? *Nomme boni*, inquit, *Abana et Pharphar, fluvii Damasci praec Iordane?* (Ibid. 12). Sed iratus hos praetulit, Iordanem meditatus elegit; nescit enim ira mysterium, fides novit. Disce baptismatis gratiam salutaris: qui leprosus meraserat, fidelis emerit. Disce spiritalia sacramenta signari: corporis remedium petitur, mentis acquiritur. Abluitur caro, affectus abluitur. Non enim magis corporis quam mentis lepram video fuisse mundatam, quando post baptismum, veteris erroris colluvione detersa, negat se diis alienis hostias, quas sponderat Domino, litatiplicis (Ibid. 17).

1931 Disce etiam congruae praecepta virtutis: probavit fidem, qui praemia recusavit. Disce utroque dicatorum factorumque magisterio quid sequaris. Habes Domini praeceptum, vatis exemplum,

gratis accipere, gratis dare (MATTH. x, 8); nec vendere ministerium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in sacramentis lucrum quaeritur, sed obsequium sacerdotis.

1932 Non tamen satis est si lucrum ipse non quaeras: familiae quoque tuae cohabitendae sunt manus; nec hoc solum exposcimus, ut te solum castum immaculatamque custodias. Non enim dixit Apostolus, te solum, sed: *Te ipsum castum custodi* (I TIM. v, 22). Quaeritur ergo non solum tua ab huiusmodi mundinis, sed etiam domus tuae castitas: *Oportet enim irreprensibilem esse sacerdotem... suae domui bene praepositum, filios habentem subditos, cum omni castitate. Si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?* (I TIM. III, 2-5). Instrue ergo familiam tuam, hortare, custodi; et si te fefellerit servulus (humanam enim non excipio facultatem), propheticum deprehensus repudietur exemplo. Cito turpem sequitur lepra mercedem, et pecunia corpus animumque male quaesita commaculat. *Accipisti, inquit, pecuniam et possidebis ex ea agrum, et vineam, et oliveta, et greges: et lepra Naaman applicabit se in te, et semini tuo usque in aeternum* (IV REG. v, 26, 27). Vides quia facto auctoris successio damnatur haereditis. Inexpiabilis est enim venditi culpa mysterii, et gratiae vindicta coelestis transit ad posterum. Denique Moabitae et ceteri non intrabunt in Ecclesiam Dei usque ad tertiam et quartam generationem (DEUT. XXIII, 3): tamdiu videlicet (ut simplicius interpretemur) donec culpam auctorum multo sustinere non possent, quasi infirmos et ingratos reliquit (LUC. VIII, 37).

1933 Sed cum illi qui in Deum idololatriae errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse mulctati: profecto durior videtur esse sententia, qua Giezi semen usque in aeternum pro cupidi-

tate habendi, prophetica auctoritate damnatur, praesertim cum Dominus noster Iesus Christus per lavacri regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum; nisi ut vitiorum magis quam generis semen intelligas. Sicut enim qui filii promissionis sunt, aestimantur in semen bonum: ita etiam qui filii erroris sunt, aestimantur in semen malum. Nam et Iudaei ex patre diabolo, non utique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes avari Giezi lepram cum divitiis suis possident: et male quaesita mercede, non tam patrimonium facultatum, quam thesaurum criminum congregarunt aeterno supplicio, et brevi fructu. Nam cum divitiae sint caducae, poena perpetua est: quia neque avarus, neque ebriosus, neque idolis serviens regnum Dei possidebit.

1934 *Et repleti sunt ira omnes in synagoga haec audientes, et surrexerunt, et eiecerunt illum extra civitatem. Sacrilegia Iudaeorum, quae multo ante Dominus praenuntiaverat per Prophetam, et psalmi versiculo declaraverat quae passurus esset in corpore constitutus dicens: Retribuebant mihi mala pro bonis* (PSAL. XXXIV, 12), in Evangelio docet esse completa. Nam cum ipse per populos beneficia diffunderet, illi iniurias irrogabant. Nec mirum si perdidit salutem, qui eiecerunt de suis finibus Salvatorem; moralis enim Dominus, et qui docuerat exemplo sui apostolos suos omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec invitos alligat, nec eiicientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Sic Gerasenos alibi cum virtutes eius sustinere non possent, quasi infirmos et ingratos reliquit (LUC. VIII, 37).

1935 Simul intellige non ex necessitate fuisse, sed voluntarium corporis passionem, nec captum a Iudaeis, sed a se ipso oblatum. Etenim quando vult ca-

pitur, quando vult elabitur, quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. Et hic in supercilium montis praecipitandum ascenderit: et ecce per medium illorum, mutata subito vel obstupefacta fillentium mente, descendit: nondum enim hora venerat passionis. Quin etiam malebat adhuc Iudaeos sanare quam perdere, ut inefficaci furoris exitu desinerent velle quod implere non possent. Vides igitur et hic divinitatis esse quod operatus est, et illic voluntatis esse quod captus est. Nam quemadmodum a paucis teneri potuit, qui a populo non tenetur? Sed noluit sacrilegium esse multorum, ut in auctores culpae crucis invidiam retorqueret; atque à paucis quidem attingeretur, sed pro toto orbe moreretur.

Varia de Passione Christi

(EX S. BERNARDINO SEMENSI, VOL. I, SERM. 51.)

1936 SECUNDO oportuit pati Christum contra peccatum tam originale, quam actuale, ut mortem nostram moriendo destrueret, et vitam resurgendo repararet: quod et fecit, quum in ara crucis immolatus est, sicut Propheta ait: *Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, et bellum*. Ibi enim in cruce Christi *confregit potentias*, scilicet, diaboli. Ista nempe potentiae peccata sunt, quae sic ab effectu dicuntur, quia per illa potenter captivum tenebat humanum genus. Hae siquidem potentiae principaliter in quatuor distinguuntur. Prima est potentia delectationis, secunda consensus, tertia operis, quarta vero consuetudinis.

1937 Prima diaboli potentia delectationis est, quae per arcum significatur; nam sicut arcus subito ex improvviso ferit, sic subita delectatio ex insperato mentem transfigit.

1938 Secunda est potentia consensus, et haec per scutum intelligi potest; sicut enim voluntas bona scutum contra diabolum nominatur, iuxta illud Psal. xc: *Scuto circumdabit te veritas eius*; vel: *Scuto bonae voluntatis hunc coronasti nos*; ita voluntas mala, quae consensum importat, scutum est diaboli contra Deum, ne possit sagittis inspirationis, aut gladio verbi Dei faciliter vulnerari, iuxta illud Sap. 1: *In animam malevolam non*

introbuit sapientia; quia, scilicet, resistit ei voluntas mala, tamquam clypeus; de quo clypeo dicitur Nahum II: Clypeus fortium eius equus igitur, voluntas mala, atque malus consensus; fortium eius, id est, qui procedit ex daemonibus; qui sunt fortes contra humanum genus; est equus igitur, quasi dicat: Est sicut clypeus hostialiter per superbiam, elevans caput mentis: sed est igitur igne prope amoris contra voluntatem Dei.

1093 Tertia daemone potentia est impii operis per gladium denotati. Gladio nempe mali operis se, et plerumque alios peccator interimere solet; propterea Eccli. XXI. cap. scriptum est: *Romphaea bis acuta, scilicet, contra se, et contra proximum omnis iniquitas.*

1040 Quarta vero potentia diaboli est malae consuetudinis qua quotidie Deus impugnatur; et haec denotatur in bello. Quod fortis armatura diaboli contra Deum et contra omnia bona eius, sit mala consuetudo, ostendit Iob. XII. dicens: *Corpus eius quasi scuta fusilia compactum squamis sese prementibus; una uni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas, una alteri adhaerbit, et tenentes se nequam separabuntur, quasi dicere velit: Corpus eius, id est, tota multitudo malorum hominum qui per malam consuetudinem pugnant contra Deum, et diabolum defendunt, sunt quasi scuta fusilia, per malarum voluntatum habitationem: compactum squamis, per malorum operum frequentationem: sese prementibus, per violentam coactionem; una uni coniungitur, per peccatorum continuationem; et ne spiraculum quidem incedit per eas, propter mentalem excecationem; una alteri adhaerbit, per obduratam obstinationem; et tenentes se, per obstinatam desperationem; nequam separabuntur, per aeternam damnationem. In quibus verbis notari possunt septem gradus quibus humanum genus, et quibus impius per malam consuetudinem descendit ad supplicia sempiterna.*

1041 Has ergo quatuor quas enumeravimus potentias diaboli, Christus in cruce merito suae passionis confregit, quemadmodum originale peccatum: unde Apostolus Col. I. cap., ait, quod: *Christus nos convitificavit eum illo, donans nobis omnia delicta; delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; et ipsum tulit de medio affigens illud cruci.* Chirographum, secundum Papiam, est manus inscriptio, id est, cautio quae fit inter creditorem et eum qui mutatur, ut depositum non possit negari. Secundum enim Glossam, decretum est sententia cunctis hominibus adversa, quod Gen. II. cap., Adae in persona generis humani dictum est:

Morte morieris. Chirographum dicit Adae quod, quasi cautionem, contra nos tenebat diabolus. Sed illud Chirographum Christus tulit, quum nobis per crucem delicta condonavit.

1042 Ex hoc igitur patet, secundum Alex. de Ales, ubi supra, quod decretum dicitur sententia Dei respectu necessitatis mortis, sive exclusionis a vita coelesti. Chirographum vero erat reatus peccati Adae in totum humanum genus. Videtur ergo, secundum Alexand. de Ales, quod chirographum dicit culpam; decretum autem dicit poenam quae sequitur. Culpam enim delevit Christus per passionem et crucem; chirographum quum purgavit originale culpam, et delevit decretum quum amovit aeternam poenam.

1043 Tertio oportuit pati Christum contra infernum, ut, scilicet, sanctos Patres liberaret de Lybmo et diabolica potestate, sicut per Oseam XIII. cap. ipse Dominus ait: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, o inferne.* Quod quidem implevit, quando per mortem suam antiquos Patres de potestate diaboli liberavit; et tunc quidem infernum demordit, quia partem abstulit, partem reliquit; sed mortem quantum ad electos omnino destruxit.

1044 Oportuit tamen Christum sanctos illos Patres per passionem suam ab inferis liberare; nam, secundum Alexand. de Ales, ubi supra, licet in Sanctis illis per circumcissionem deleteret culpa originalis, et per charitatem culpa actualis, et quantum ad maculam, et quantum ad dirinam offensam, et quantum ad reatum gehennae; non tamen quantum ad reatum carentiae visionis divinae ratione cuius habebat potestatem diabolus detinendi eos in Lybmo, de quo misericorditer a Christo merito suae passionis liberati sunt, sicut Zach. IX. cap. ad ipsum Dominum ait: *Tu quoque in sanguine testamenti tui duxisti vincetos de lacu.* Et iterum Luc. XI. cap. mystice Dominus ait: *Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Si autem fortior illo veniens vicerit eum, universa arma eius auferit in quibus confidebat, et spolia eius distribuit.* Hoc autem per vexillum crucis a Christo impletum est, qui, existens fortis, passionem superans, et vincens diabolum fortem, abstulit eius arma; id est, reatum originalis culpae, et clausionem coelestis ianuae; in quibus confidebat, scilicet, posse aeternaliter retinere in Lybmo etiam sanctos Patres, ne viderent gloriam Dei. *Et spolia eius distribuit,* id est, sanctos Patres secundum illorum varia merita in coelo sive gloria collocavit.

1045 Et merito quidem hunc modum servavit Christus. Nam primus homo sic in statera liberi arbitrii positus erat, ut posset ad vitam ascendere sempiternam, si vellet: sed, perpetrato peccato, sic al-

terum staterae brachium per peccati onus depressum est, ut esset in imo inferni, et alterum in summo coeli. Non autem ascenderet brachium in imo depressum, nisi alterum descenderet in summo levatum. Descendit autem ad infernum Dominus, ut captivum hominem levaret ad coelum.

1046 Propterea duo quidem meruit Christus per passionem: primo satisfactionem, secundo ianuae coelestis apertionem; ideo in descensu suo ad inferos haec duo executioni mandavit; nam primo per satisfactionem soluta sunt vincula illius captivitatis inferni: secundo vero per ianuae coelestis apertionem facta est visio gloriae paradisi, et illustratio ipsa sive ipsius carceris etiam secundum lucem exteriorum. In hoc ergo descensu liberavit Christus omnes illos qui meriti passionis eius capaces erant; inter quos etiam fuerunt omnes illi qui non propter reatum personae, sed propter reatum tantum naturae detinebantur. Damna vero huius meriti minime capaces erant; nec insuper parvuli qui erant, in Lybmo; quia de corpore Christi non erant per fidem, neque per fidei sacramentum; propterea merito non fuerunt liberati.

1047 Denique Christi Anima per ipsum triduum mortis cum sanctis Patribus in Lybmo stetit, cum quo fuit latro ille sacratissimus cui Dominus in cruce pendens tanta misericordia condescendit, ut illi dicere dignaretur: *Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso;* quo quidem paradisi nomine Dei fruitio denotatur, quia, passione peracta, tam ipse, quam alii qui in Lybmo erant per essentiam Deum contemplati sunt.

FERIA TERTIA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XVIII, 15-22.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripue eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

16. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

17. Quod si non audierit eos: dic ecclesiae. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

18. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.

19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quaecumque petierint; fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.

20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?

22. Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

Homilia S. Augustini Episcopi.

SERMO. 15 ET 16 DE VERB. DOM. ET TERTIA ALIAS EDIT. 82 ET 83.

1048 **A**DMONET nos Dominus noster non negligere invicem nostra peccata, non quaerendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Eius quippe dixit acutum oculum ad eiciendam festucam de oculo fratris sui, qui trabem in oculo suo non habet. Quid autem hoc sit, breviter insinuo Charitati vestrae. Festuca in oculo, ira est: trabes in oculo, odium est. Quando ergo qui odit reprehendit irascentem, festucam vult de oculo fratris sui tollere: sed trabe impeditur, quam ipse portat in oculo suo (MATTH. VII, 3-5). Festuca initium trabis est. Nam trabes quando nascitur, prius festuca est. Rigando festucam, perducis ad trabem: alendo iram malis suspitionibus, perducis ad odium.

1049 Multum autem interest inter peccatum irascentis, et crudelitatem odio habentis. Nam et filius nostris irascimur: odisse filios quis invenitur? In ipsis quoque pecoribus mater aliquando bucula surgentem vitulum taedio quodam avertit irascentis; sed visceribus amplectitur matris. Quasi taedium facit, cum impingit: quaeritur tamen, si deest. Nec damus aliter filiis disciplinam, nisi aliquantum irascentem et indignando: nec tamen damus disciplinam, nisi amando. Usque adeo non omnis qui irascitur, odit; ut aliquando magis odisse convincatur, si non irascitur. Fac enim puerum velle in aqua fluminis ludere, cuius impetu pereat: tu si vides, et patienter permittis, odisti; tua patientia, illius mors est. Quanto melius est si irasceris et corri-

gis, quam non irascendo interire permittis? Odium ergo ante omnia vitandum est, trabes de oculo eicienda est. Multum quippe aliud est, quando quisque irascens in aliquo verbi modum excedit, quod postea deleat poenitendo; et aliud est, servare insidias inclusas in corde. Multum postremo interest inter haec verba Scriptura: *Turbatus est prae ira oculus meus* (PSAL. VI, 8). De illo autem quid dictum est? *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I IOANN. III, 15). Multum interest inter turbatum oculum et extinctum. Festuca turbat, trabes exstinguit.

1950 Hoc ergo primum nobis persuadeamus, ut quod hodie admoniti sumus, bene facere atque implere possimus, ante omnia non odisse. Tunc enim quando trabes non est in oculo tuo, vides recte quidquid fuerit in oculo fratris tui; et vim pateris, donec eicias de oculo fratris tui, quod vides nocere oculo fratris tui. Lumen quod in te est, non te permittit negligere lumen fratris tui. Nam si odisti, et vis corrumpere, quomodo emendas lumen, qui perdidisti lumen? Dixit enim et hoc aperte eadem Scriptura, ubi scriptum est: *Qui odit fratrem suum, homicida est. Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris est usque adhuc* (Ibid. II, 9). Odium, tenebrae sunt. Non potest autem fieri ut qui odit alterum, non sibi prius noceat. Illum enim laedere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus. Quantum autem animus noster corpore maior est, tantum ei prospicere debemus, ne ipse laedatur. Laedit autem animum suum, qui odit alterum. Et quid facturus est et quem odit? quid facturus? Tollit pecuniam, numquid fidem? Laedit famam, numquid conscientiam? Quidquid noceat, forinsecus noceat: sibi attende quid noceat. Intus enim sibi ipse inimicus est, qui odit alterum. Sed quia non sentit

quid sibi mali faciat, in alterum saevit, eo periculosius vivens, quo non sentit quid secum mali agit; quia et saeviendo sensum perdidit. Saevisti in inimicum tuum: te saeviente ille nudatus est, tu iniquus es. Multum interest inter nudum et iniquum. Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quaere quis gravius dampnum perpessus est. Ille perdidit rem perituram, tu factus es periturus.

Ideo debemus amando corrumpere; non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. Tales si fuerimus, optime facimus quod hodie admoniti sumus: *Si peccaverit in te frater tuus, corripere illum inter te et ipsum solum*. Quare illum corripis? Quia te doles, quod peccaverit in te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis. Si amore illius facis, optime facis. Denique in ipsis verbis attende, cuius amore id facere debeas, utrum tui, an illius. *Si te audierit*, inquit, *lucratus es fratrem tuum*. Ergo propter illum fac, ut lucraris illum. Si faciendo lucraris nisi fecisses perierat. Quid est ergo quod perique homines ista peccata contemnunt, et dicunt: Quid magnum feci? in hominem peccavi. Noli contemnere. In hominem peccasti: vis nosse quia in hominem peccando peristi? Si te ille in quem peccasti, corripuerit inter te et ipsum solum, et audieris illum, lucratus est te. Quid est, lucratus est te; nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat, quando peccat in fratrem. Ait enim quodam loco Apostolus: *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis* (I COR. VIII, 12): ideo quia membra Christi omnes facti sumus. Quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi?

Nemo ergo dicat, quia non peccavi in Deum, sed peccavi in fratrem, in ho-

minem peccavi: leve peccatum est, vel nullum peccatum est. Forte inde dicis, Leve est, quia cito curatur. Peccasti in fratrem: fac satis, et sanatus es. Cito fecisti mortiferam rem, sed remedium cito invenisti. Quis nostrum speret regnum coelorum, fratres mei, quando dicit Evangelium: *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennae ignis?* Magnus terror; sed vide ibi remedium: *Si obtuleris munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare*. Non irascitur Deus quia differs imponere munus tuum: te quaerit Deus magis quam munus tuum. Nam si malum animum gerens adversus fratrem tuum, adveneris cum munere ad Deum tuum, respondet tibi: Tu peristi, mihi quid attulisti? Offers munus tuum, et tu non es munus Dei. Plus quaerit Christus quem redemit sanguine suo, quam quod tu invenisti in horreo tuo. Ergo *relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et sic veniens offeres munus tuum* (MATTH. V, 22-24). Ecce ille reatus gehennae quam cito solutus est. Nondum reconciliatus, eras gehennae reus: reconciliatus, securus offers munus tuum ad altare.

1953 Homines autem faciles sunt ad irrogandas iniurias, et difficiles ad concordiam requirendam. Pete, inquit, veniam ab homine quem offendisti, ab homine quem laesisti. Respondet: Non me humiliabo. Vel Deum tuum audi, si fratrem tuum contemnis: *Qui se humiliat exaltabitur* (LUC. XIV, 11). Non vis te humiliare qui cecidisti? Multum interest inter se humiliantem et inter iacentem. Iam iaces, et humiliare te non vis? Bene diceres: Nolo descendere; si noluisse ruere.

1954 Hoc ergo debet facere, qui fecit iniu-

riam. Qui autem passus est, quid debet? Quod audivimus hodie: *Si peccaverit in te frater tuus, corripere eum inter te et ipsum solum*. Si neglexeris, peior es. Ille iniuriam fecit, et iniuriam faciendo gravi se ipsum vulnere percussit: tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, vel perisse, et negligis? Peior es tacendo, quam ille convincendo. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis; nam gloriosum est iniurias oblivisci; sed obliviscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui. Ergo *corripere eum inter te et ipsum solum*, intendens correctioni, parcens pudori. Forte enim prae verecundia incipit defendere peccatum suum, et quem vis facere correctiorem, facis peiorem. *Corripere ergo eum inter te et ipsum solum*. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: quia perierat, nisi faceres. Si autem non te audierit, id est, peccatum suum quasi iustitiam defenderit, *adhibe tecum duos vel tres; quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*. Si nec ipsos audierit, refer ad Ecclesiam: si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Noli illum deputare iam in numero fratrum tuorum. Nec ideo tamen salus eius negligenda est. Nam et ipsos Ethnicos, id est, Gentiles et Paganos in numero quidem fratrum non deputamus; sed tamen eorum salutem semper inquiremus. Hoc ergo audivimus Dominum ita monentem, et tanta cura praecipientem, ut etiam hoc adderet continuo: *Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram, ligata erunt et in coelo; et quaecumque solveritis in terra, soluta erunt et in coelo*. Coepisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra: sed ut iuste alliges, vide. Nam iniusta vincula dirumpit iustitia. Cum autem correxeris, et concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra. Cum

solveris in terra, solutus erit et in coelo. Multum praestas, non tibi, sed illi; quia multum nocuit, non tibi, sed sibi.

1955

Haec cum ita sint, quid est quod ait Salomon, quod hodie ex alia lectione primitus audivimus: *Annuens oculis cum dolo, congerit hominibus maestitiam: qui autem arguit palam, pacem facit?* Si ergo *qui arguit palam, pacem facit*; quomodo, *Corripit illum inter te et ipsum solum?* Metuendum est, ne sibi contraria sint praecepta divina. Sed intelligamus esse ibi summam concordiam, non quemadmodum quidam vani sapiamus, qui errantes opinantur contraria sibi esse duo Testamenta in Libris veteribus et novis: ut ideo putemus hoc esse contrarium, quoniam illud est in Salomonis libro, hoc in Evangelio. Si enim aliquis imperitus et calumniator divinarum Scripturarum diceret: Ecce ubi sibi contradicunt duo Testamenta. Dominus dicit: *Corripit illum inter te et ipsum solum.* Salomon dicit: *Qui arguit palam, pacem facit.* Ergo nescit Dominus quid praecipit? Salomon vult contundi frontem peccantis: Christus parcat pudori erubescens. Ibi enim scriptum est: *Qui arguit palam, pacem facit*; hic autem: *Corripit illum inter te et ipsum solum*; non palam, sed in secreto et occulte. Vis nosse quisquis talia cogitas, non sibi repugnare duo Testamenta, quia illud in libro Salomonis, hoc in Evangelio reperitur? Apostolum audi. Certe Apostolus minister est Novi Testamenti. Audi ergo Apostolum Paulum Timotheo praecipientem et dicentem: *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant* (I Tim. v, 20). Iam non Salomonis liber cum Evangelio, sed Pauli apostoli Epistola videtur configere. Salomonem paululum sine iniuria seponamus: Christum Dominum et Paulum servum eius audiamus. Quid dicis, Domine? *Si pecca-*

verit in te frater tuus, corripit illum inter te et ipsum solum. Quid dicis, Apostole? *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.* Quid facimus? Controversiam istam velut iudices audimus? Absit. Imo sub iudice constituti pulsemus, uti nobis aperiri constitemus: fugiamus sub alas Domini Dei nostri. Non enim Apostolo suo contrarium locutus est, quia et in illo ipse locutus est, sicut dicit: *An vultis experimentum eius accipere, qui in me loquitur Christus?* (II COR. XIII, 3). Christus in Evangelio, Christus in Apostolo: Christus ergo utrumque dixit; unum ore suo, alterum ore praecoris sui. Quia quando praeco de tribunali aliquid dicit, non scribitur in Gestis, Praeco dixit: sed ille dixisse scribitur, qui praeconi quod diceret imperavit.

1956

Duo ergo ista praecepta, fratres, sic audiamus, ut intelligamus, et inter utraque praecepta peccati constituamur. Cum corde nostro nos concordemus, et Scriptura sancta in nulla parte discordat. Verum est omnino, utrumque verum est: sed discernere debemus, aliquando illud, aliquando illud esse faciendum; aliquando corripiendum fratrem inter te et ipsum solum, aliquando corripiendum fratrem coram omnibus, ut et ceteri timorem habeant. Si aliquando illud, aliquando illud fecerimus; concordiam Scripturarum tenebimus, et in faciendo atque obtemperando non errabimus. Sed dicit mihi aliquis: Quando facio illud, quando illud, ne tunc corripiam inter me et ipsum solum, quando debeo coram omnibus corripere; aut tunc corripiam coram omnibus, quando debeo in secreto corripere?

1957

Cito videbit Charitas vestra, quid quando facere debeamus: sed utinam facere pigri non simus. Intendite, et videte: *Si peccaverit, inquit, in te frater tuus, corripit eum inter te et ipsum solum.*

Quare? Quia peccavit in te. Quid est, in te peccavit? Tu scis quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit; secretum quaere, cum corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere; non es correptor, sed proditor. Attende quemadmodum vir iustus, Ioseph, tanto flagitio quod de uxore fuerat suspicatus [vid. n. 336] tanta benignitate pepercit, antequam sciret unde illa conceperat: quia gravidam senserat, et se ad illam non accessisse noverat. Restabat itaque certa adulterii suspicio: et tamen quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, quid de illo ait Evangelium: *Ioseph autem cum esset vir iustus, et nollet eam divulgare.* Mariti dolor non vindictam quaesivit: voluit prodesse peccanti, non punire peccantem. *Cum, inquit, nollet eam divulgare, voluit eam occulte dimittere.* Haec eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit ei in somnis; et indicavit quid esset, quia non violavit viri torum, quia de Spiritu sancto conceperat Dominum amorum (MATTH. I, 19, 20). Peccavit ergo in te frater tuus: si tu solus nosti, tunc vere in te solum peccavit. Nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, et in illos peccavit, quos testes suae iniquitatis effecit. Dico enim, fratres charissimi, quod et vos ipsi in vobis ipsis potestis agnoscere. Quando me audiente, fratri meo quisque iniuriam facit, absit ut a me iniuriam illam alienam putem. Prorsus et mihi fecit: imo et mihi plus fecit, cui putavit placere quod fecit. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius. Distribuite tempora, et concordat Scriptura.

1958

Sic agamus et sic agendum est, non solum quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero ne-

sciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere; ne volentes publice arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere et corrigere: quid, si inimicus quaerit audire quod puniat? Novit enim nescio quem homicidam episcopos, et alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quaeris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corripio in secreto; pono ante oculos Dei iudicium; terreo cruentam conscientiam; persuadeo poenitentiam. Hac charitate praediti esse debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quasi non corripimus: aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos tacere quod scimus. Sed forte quod scis, et ego scio: sed non coram te corripio; quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant; aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quaerentibus: nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus; ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum: quod aliquando qui committunt, nescio qua perversitate contemunt; et nescio unde sibi testimonia nulla et vana conquirunt, dicentes: Peccata carnis Deus non curat. Ubi est quod hodie audivimus: *Fornicatores et adulteros iudicat Deus?* Ecce attende, quisquis tali morbo laboras. Quod dicit Deus audi: non quod tibi dicit favens peccatis tuis animus tuus, aut eadem tecum iniquitatis catena ligatus amicus tuus, vel potius inimicus tuus et suus. Audi ergo quod dicit Apostolus: *Honorabiles, inquit, nuptiae in omnibus, et torus immaculatus. Fornicatores autem et adulteros iudicat Deus* (HEBR. XIII, 4).

1959 Age ergo, frater, esto correctus. Times ne te inscribat inimicus; et non times ne te iudicet Deus? Ubi est fides? Time cum est quando timeas. Longe est quidem dies iudicii: sed uniuscuiusque hominis dies ultimus longe esse non potest; quia brevis est vita. Et quia ipsa brevis semper incerta, quando sit dies tuus ultimus, nescis. Corrige te hodie, propter cras. Prosit tibi et modo in secreto correptio. Palam enim loquor, et in secreto arguo. Aurea omnium pulso: sed conscientias quorundam convenio. Si dicerem: Tu, adulter corrige te: primo forte dicerem quod nescirem; forte quod temere audieram, suspicarer. Non dico: Tu, adulter, corrige te, sed quisquis in hoc populo adulter es, corrige te. Publica est correptio sed secreta correctio. Scio quia ille qui timuerit, corrigit se.

1960 Non dicat in corde suo: Peccata carnis non curat Deus. *Nescitis*, inquit Apostolus, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Quisquis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (I COR. III, 16, 17). Nemo se fallat. Sed forte ait aliquis: Templum Dei animus meus est, non corpus meum; adiecit etiam testimonium: *Omnis caro fenum, et omnis claritas carnis ut flos feni* (I PETR. I, 24). Infelix interpretatio! punianda cogitatio! Fenum dicta est caro, quia moritur, sed quod ad tempus moritur, non resurgat cum crimine. Vis nosse apertam etiam inde sententiam? *Nescitis*, inquit idem Apostolus, *quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo?* (Iam non contemnatis corporalia peccata: ecce quia et corpora vestra templum in vobis sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo). Contemnebas corporale peccatum, contemnis quod peccatum in templum? Ipsum corpus tuum templum in te est Spiritus Dei. Iam vide

quid facias de templo Dei. Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei. Templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, et in ruinam vertaris. *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra* (et hoc de fornicatione loquebatur Apostolus, ne contemnerent corporalia peccata) *templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno* (I COR. VI, 19, 20). Si contemnis corpus tuum, considera pretium tuum.

Scio ego, et mecum omnis homo qui paulo attentius consideraverit, neminem Deum timentem sub verbis eius non se corrigere, nisi qui putat, quia plus habet vivere. Ipsa res est quae multos occidit, cum dicunt: Cras, cras, et subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras; corvi vox. Geme ut columbus, et tunde pectus: sed plagas tibi dando in pectus, caesus correctus esto; ne non videaris conscientiam cadere, sed malam conscientiam pugnis pavimentare, solidiorem reddere, non correctiorem. Geme non inani gemitu. Forte enim dicis tibi: Promisit mihi Deus indulgentiam, quando me correxero, securus sum; lego divinam Scripturam: *Iniquus in qua die conversus fuerit ab iniquitatibus suis, et fecerit iustitiam, omnes iniquitates eius obliviscar* (EZECH. XVIII, 21 et 22). Securus sum; quando me correxero, dat mihi Deus indulgentiam de malis meis. Et quid ego dicturus sum? Contra Deum reclamaturus? Dicturus sum Deo: Noli illi dare indulgentiam? Dicturus sum hoc scriptum non esse, hoc Deum non promisisse? Si ista dixerō, omnia falsa dico.

Bene dicis, verum dicis: indulgentiam correctioni tuae promisit Deus, negare non possum; sed dic mihi, rogo te; ecce ego consentio et concedo et cognosco quia indulgentiam Deus promisit tibi; crastinum enim diem quis tibi promisit? Ubi mihi legis indulgentiam te accepturum, si te correxeris; lege ibi mihi quantum victurus sis. Non lego, inquis. Nescis ergo quantum victurus sis. Esto correctus et semper paratus. Noli timere diem ultimum, tamquam furem qui te dormiente effodiat parietem; sed vigila, et corrige te hodie. Quid differs in crastinum? Longa vita erit. Ipsa longa, bona sit. Prandium bonum longum nemo differt, et vitam malam longam vis habere? Utique si longa erit, melius bona erit: si brevis erit, bene factum est, ut bona produceretur. Sic autem homines negligunt vitam suam, ut nolint habere malam, nisi ipsam. Villam emis, bonam quaeris; uxorem vis ducere, bonam eligis; filios tibi vis nasci, bonos optas; caligas locas, et non vis malas: et vitam amas malam! Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, ut inter omnia bona tua tu solus sis malus?

1962 Ergo, fratres mei, si aliquem vestrum vellem in parte corripere, forte audiret me: multos vestrum publice corripio; omnes me laudant; audiat me aliquis. Non amo in voce laudatorem, et in corde contemptorem. Cum enim laudas, et non te corrigis, contra te testis es. Si malus es, et quod dico placet tibi, displice tibi: quia si malus displicueris tibi, correctus placebis tibi, quod nudius tertius, nisi fallor, dixi. In omnibus verbis meis speculum propono. Nec mea ista sunt verba; sed Domino iubente loquor, quo terrente non taceo. Nam quis non eligeret tacere, et rationem de vobis non reddere? Sed iam

suscepimus onus, quod ab humeris nostris excutere non possumus, nec debemus. Audistis, fratres mei, cum Epistola ad Hebraeos legeretur: *Obedite praecipulis vestris, et subditi estote; quia ipsi vigilant pro animabus vestris, tamquam rationem reddaturi pro vobis: ut cum gaudio hoc faciant, et non cum tristitia: non enim expedit vobis* (HEBR. XIII, 17). Quando facimus ista cum gaudio? Quando videmus homines proficere in verbis Dei. Quando laborat cum gaudio operarius in agro? Quando attendit arborem, et fructum videt: quando attendit segetem, et frugum in area prospicit ubertatem: non sine causa laboravit, non sine causa dorsum curvavit, non sine causa manus attrivit, non sine causa frigus et aestum toleravit. Hoc est quod ait: *Ut cum gaudio hoc faciant, et non cum tristitia; non enim expedit vobis*. Numquid dixit: Non illis expedit. Non; sed dixit: *Non expedit vobis*. Nam illi praepositi quando contristantur de malis vestris, expedit illis; ipsa tristitia prodest illis; sed non expedit vobis. Nihil autem nobis volumus expedire, quod non expedit vobis. Simul ergo in Dominico agro, fratres, bonum operemur; ut simul de mercede gaudeamus.

Hesternam die sanctum Evangelium admonuit nos non negligere peccata fratrum nostrorum: *Sed si peccaverit, inquit, in te frater tuus, corripue cum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem contempserit, adhibe tecum duos vel tres: ut in ore duorum vel trium testimonium stet omne verbum. Si autem et ipsos contempserit, dic Ecclesiae. Quod si Ecclesiam contempserit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Hodierna etiam die ad ipsam rem pertinet capitulum quod sequitur, quod modo cum legeretur audivimus. Cum enim dixisset hoc Dominus Iesus

Petro, subiecit et interrogavit Magistrum, quoties ignosceret fratri qui in illum peccasset; et quaesivit utrum sufficeret septies. Respondit illi Dominus: *Non solum septies, sed etiam septuagies septies.* Deinde narravit similitudinem valde terribilem: quia simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui posuit rationem cum servis suis; in quibus invenit debitorem decem millium talentorum. Et cum iussisset, ut omnia quae habebat, et omnis eius familia, et ipse venderetur, et debitum solveretur, ad volutum genibus domini sui, rogabat eum dilationem, meruit remissionem. Misertus est enim dominus eius, sicut audivimus, et omne debitum dimisit illi. At ille debito liber, sed iniquitatis servus, posteaquam egressus est a facie domini sui, invenit etiam ipse debitorem suum, qui debebat, non decem millia talentorum, quantum ipsius debitum fuit, sed centum denarios: coepit eum suffocatum trahere, et dicere: *Redde quod debes.* At ille rogabat conservum, sicut et ipse rogaverat dominum; sed non talem iste invenit conservum, qualem ille dominum. Non solum remittere illi debitum noluit: sed nec dilationem dedit. Contortum rapiabat ad solutionem, iam debito dominico liber. Dispicuit conservis; et renuntiaverunt domino suo quid actum esset: et dominus fecit adesse servum, et dixit ei: *Serve nequam, cum mihi tanta debeas, misertus tui, omnia dimisi tibi; nonne ergo et te oportebat misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Et iussit omnia, quae illi dimiserat, exigi.

1964

Ergo hanc similitudinem ad nostram instructionem proposuit, et admonendo perire nos noluit. *Sic, inquit, et vobis faciet Pater vester coelestis, si non remiseritis unusquisque vestrum fratri suo ex cordibus vestris.* Ecce, fratres, res in aperto est, admonitio utilis; et valde sa-

lubris obedientia debetur, ut quod iussum est impleatur. Quia omnis homo et debitor est Dei, et debitorem habet fratrem suum. Quis est enim qui non sit debitor Dei, nisi in quo nullum potest inveniri peccatum? Quis est autem qui non habeat debitorem fratrem, nisi in quem nemo peccavit? Putasne, quisquam in genere humano reperiri potest, qui non et ipse aliquo peccato obstrictus sit fratri suo? Debitor est ergo omnis homo, habens tamen et ipse debitorem. Ideo Deus iustus constituit tibi regulam in debitore tuo, quod faciet et ipse cum suo. Duo sunt enim opera misericordiae, quae nos liberant, quae breviter ipse Dominus posuit in Evangelio: *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (LUC. VI, 37, 38). *Dimittite, et dimittetur vobis*, ad ignoscendum pertinet. *Date, et dabitur vobis*, ad praestandum beneficium pertinet. Quod ait de ignoscendo; et tu vis tibi ignosci quod peccas, et habes alium cui tu possis ignoscere. Rursus quod pertinet ad tribuendum beneficium; peti te mendicus, et tu es Dei mendicus. Omnes enim quando oramus, mendici Dei sumus: ante ianuam magni patrisfamilias stamus, imo etiam prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere; et ipsum aliquid, ipse Deus est. Quid a te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui dicit: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi?* (IOANN. VI, 51). Ignosci vobis vultis? Ignoscite: *Remittite, et remittetur vobis.* Accipere vultis? *Date, et dabitur vobis.*

1965

Sed quid in hac aperta praeceptione movere possit, audite. In remissione ubi venia petitur, et ab ignoscente debetur, hoc potest movere, quod et Petrum movit. *Quoties deo, inquit, ignoscere? Sufficit usque septies?* Non sufficit, ait Dominus: *Non dico tibi, Septies; sed, septu-*

gies septies. Iam tu enumera quoties in te peccaverit frater tuus. Si poteris pervenire usque ad septuagesimam et octavam culpam, ut transeas septuagies septies, tunc molire vindictam. Itane verum est quod dicit, et vere ita se res habet, ut si peccaverit septuagies septies, ignoscas; si autem peccaverit septuagies octies, iam liceat tibi non ignoscere? Audeo, audeo dicere: ut et si septuagies octies peccaverit, ignoscas. Si autem peccaverit, ut dixi, septuagies octies ignosce. Et si centies peccaverit, ignosce. Et quid dicam toties et toties? Omnino quoties peccaverit, ignosce. Ergo ego ausus sum supergredi modum Domini mei? Ille in septuagesimo et septimo numero ignoscendi limitem fixit: hunc ego limitem transilire praesumam? Non est verum, non sum ausus plus aliquid. Ipsum Dominum meum audivi loquentem in Apostolo suo, ubi modus et numerus praefixus non est. Ait enim: *Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis* (COLOSS. III, 13). Audistis formam. Si septuagies septies peccata tibi donavit Christus, si huc usque ignovit, et ultra negavit: pone et tu limitem, et ulterius noli ignoscere. Si autem Christus millia peccata peccatorum invenit, et tamen omnia donavit; noli subducere misericordiam, sed posce illius numeri solutionem. Non enim sine causa Dominus *septuagies septies* dixit: cum omnino nulla culpa sit, quam non debeas ignoscere. Ecce ille ipse servus, cuius debentis inventus est debitor, decem millia talentorum debebat. Puto enim, quia decem millia talentorum, ut parum sit, decem millia peccatorum sunt. Nolo enim dicere unum talentum, quod omnia peccata concludat. Servus autem ille quantum ei debebat? Centum denarios debebat. Iam plus non est quam septuagies

septies? Et tamen iratus est Dominus, quia ei non dimisit. Non solum enim centum plus sunt quam septuaginta septem; sed centum denarii forte mille asses sunt. Sed quid ad decem millia talentorum?

1966

Ac per hoc omnes culpas, quae in nos committuntur, parati simus ignoscere, si nobis desideramus ignosci. Si enim consideremus peccata nostra, et numeremus quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatione, quid innumerabilibus motibus; nescio utrum dormiamus sine talento. Ergo quotidie petimus, quotidie divinas aures orando pulsamus, quotidie nos prosternimus et dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (MATTH. VI, 12). Quae debita tua? Omnia, an aliquam partem? Respondebis: Omnia. Sic ergo et tu debitori tuo. Hanc ergo regulam ponis, hanc conditionem loqueris: hoc pacto et placito quando oras, commemoras, ut dicas: *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

1967

Quid sibi ergo vult *septuagies septies?* Audite, fratres, magnum mysterium, admirabile sacramentum. Quando Dominus baptizatus est, Lucas evangelista sanctus ibi commemoravit generationes eius, quo ordine, qua serie, quo stemmate ad illam generationem ventum fuerit, qua natus est Christus (LUC. III, 21-38). Matthaeus coepit ab Abraham, et venit usque ad Ioseph descendendo (MATTH. I, 1-16): Lucas autem ascendendo coepit numerare. Quare ille descendendo, ille ascendendo? Quia Matthaeus generationem Christi commendabat, qua descendit ad nos; ideo quando natus est Christus, coepit numerare descendendo. Lucas autem quia tunc coepit numerare, quando baptizatus est Christus; ibi est initium ascensionis: iste ascendendo nu-